

duum actuale, prout actu se sistit & hinc *stat, existit, prostat & existat*; illud certâ vice, sed unâ tantum, non pluribus simul, hinc stare, seu nunc existere, quis est qui non videat?

Quicquid enim vice quavis existit, illud, nisi sit ipse DEUS, aliâ vice tunc & simul esse nequit. Ergo saltem unâ vice, certâ tamen, quâ nimirum existit, nititur individuum in statu spectatum.

§. 27. Quapropter plures vices eidem individuo simul non nisi per mentis operationem imputari possunt, quatenus individuum in ampliacione tanquam unum tot vicibus continuatum accipitur. In actu verò seu statu, quatenus individuum actualiter est, unâ tantum vice gaudet, eâ nempe, quâ tum est: Aliâ vice cum fuerit individuum idem (ampliâtè conceptum) illam, de qua loquebamur, vicem jam actu periisse constat, & sic eâ vice tum non erit individuum illud, & per consequens, illud individuum in illo statu præcisè, certomodo non erit hoc individuum in hoc statu præcisè, spectatum.

§. 28. Nihilominus eidem individuo (quatenus ampliâtè spectatur) vices plures, quibus existit, verè possunt imputari, verè namque dici potest, individuum hoc (ampliâtè spectatum) tot vicibus idem existere, *jam, nunc, mox, hâc, illâ, istâ, vice*, paucis, aliâ semper ac aliâ vice, successivè Substantiam & essentiam suam eandem exhibere: quatenus nimirum essentiam saltem formaliter eandem, plenariè tamen formaliter eandem, vicibus illis omnibus habet. Nam (1) si materiæ quippiam interim decedat, nihil inter est: nec enim is, qui post morbum gravem, aliam prorsus carnem adipiscitur, alius homo dici solet. Quod si (2) præter formam plenariam, (cui saltem principales in corpore rationes imputantur) formalitates quædam minus principales mutantur, *alteratio* tantum, aut *augmenti minutio* dicitur accidisse corpori, non corruptio, corpusque sic nihilominus *idem* perseverat.

§. 29. Si statum autem, ut in scholis loquimur, hoc est, actum ipsum attendas, unum & prorsus idem individuum unâ tantum vice gaudet: alterâ vice jam aliud individuum eatenus est, quatenus extra mentis operationem omnem id saltem, quod actu se sistit, attenditur: Idem tamen individuum dici meretur per ampliacionem, quatenus diversis vicibus nihil diversitatis in essentia formali completâ ceu diximus apparet.

§. 30.